

stantes respiciat. Et cum nihil velit ille, nisi summa cum ratione, nihilque præter eius voluntatem extiterit: dicant igitur Aduersarij, quænam aliæ rationes Deo fuerint aptandarum virium, etc. cum præter quantitates nihil esset? Quòd si, dum nihil inueniunt, ad imperscrutabiles Conditricis Sapientiæ vires confugiant: habeant sibi sanè hanc inquirendi temperantiam, illaque cum pietatis opinione fruantur: nos verò patiantur causas ex quantitatibus verisimiles reddere: dummodò nihil indignum tanto dicamus Opifice. Nulla igitur vinculus religione, pergo ad inuestigationem Zodiaci.

Ac initiò existimo verisimiliorem corporum situm excogitari non posse, quàm cum Cubus maxima figurarum inseratur orbi quomodocunque, nam in circulo nullum est initium. Oportet autem principia sine ratione constituere, ne infinitus fiat regressus; & vt aliquando transitum habeamus ab infinita potentia ad finitum actum. Iam igitur vna facierum censeatur pro basi. Pyramis igitur inferenda cubo mediante orbe Iouio, debet basin basi cubi παράλληλον tenere: & Dodecaedron pyramidis basi. Aliter ferunt secundariorum proprietates, vt vidimus. Erigendum igitur Icosaedron intra Dodecaedron, ita vt diagonus illius fiat vtriq; oppositarum basium dodecaedron perpendicularis in centrīs. Eodem pacto suspendendum erit Octaedron minima figurarum, intra Icosaedron, ita vt acta recta veniat, 1. per centrum basis in cubo, 2. per centrum basis tetraedricæ, 3. per centrum quinque anguli Dodecaedrici, 4. per angulum Icosaedri, 5. per angulum octaedri, 6. per centrum mundi, & corpus solare, & porro similibus interstitijs per oppositos, 7. Octaedri, 8. Icosaedri angulos, 9. Dodecaedrici plani centrum, 10. Tetraedri angulum, 11. cubici plani centrum. Maioris lucis causa relego te ad tabellam capitis secundi vbi omnia corpora ad hunc modum expressa sunt. Quibus ita constitutis, non tantùm apparens in Octaedro quadratùm, æqualiter à dictis duobus angulis remotum, si producatür circumcirca; omnes figuras, atque adeò totum mundum in bina diuidet æqualia: sed etiam omnium laterum, quæ quis inter dictos angulos & centra, media censere potest, eorum inquam omnium si regulariter ponantur, sectiones mutuae, quæ prospicienti ex centro appa-